Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35462
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Saty. VI.

Barbato nondum grecis iurare paratis
Per caput alterius: cum furem nemo timeret
Caulibus aut pomis: et aperto viveret orto.
Paulatim deinde ad superos astrea recessit
Hac comite. atque due pariter fugere sorores.
Antiquum et vetus est alienum postume lectum
Concutere. atque sacri genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit etas.
Viderunt primos argentea secula mechos.
Conventum tamen et pactum et sponsalia nostra
Tempestate paras. iamque a tonsore magistro
Pecteris et digito pignus fortasse dedisti.
Certe sanus eras. uxorem postume duces.
Dic qua thesifone: quibus exagitare colubris.
Ferre potes dominam salvis tot restibus ullam.
Cum pateant alte caligantesque fenestre.
Cum tibi vicinum se prebeat emili pons.
Aut si de multis nullus placet exitus. illud
Nonne putas melius: quod tecum pusio dormit.
Pusio qui noctu non litigat. exigit a te
Nulla iacens illic munuscula: nec queritur quod
Et lateri parcas nec quantum iussit anheles.
Sed placet ursidio lex iulia. tollere dulcem
Cogitat heredem: cariturus turture magno
Mullorumque iubis. et captatore macello.